

*suram (m) & approbationem dare, quibus ille seorsim
eodem loco delectatur. Audire (n) verò arma, nec in
Germania nec Latio potuit; cur igitur Lectorem suum
arma mea audiisse scribit? Si vidisse, si inspexisse aut ex-
plorasse dixisset, applausum probatorum Autorum au-
diisset. Sed quis Barbarismos & solœcismos ejus omnes
enumeret? quis plures enarret? quis sine naufragio denuò
hic adductos legat? Qui prægustum eorum ex his paucis
habet, dubio procul respuit & reliquos, me non mo-
nente; Quemadmodum & Tu, *Illusterrime BOSSVETE*,
hinc intelligis, quam ineptus sit, qui barbarus est, ad Te
Scriptorem calami animique politissimi defendendum.
Idem judicium à Te tuique similibus, quod est, à pru-
dentibus & doctis feretur omnibus, si ad bullatas ejus nu-
gas, quibus verba dat prætereaque nihil, vel obiter at-
tendatur. Magistrum verò hujus artis cum innumeris
speciminibus probet se omnino esse, dissimulare tamen
studet hoc maximopere, utque eo magis ab hoc crimi-
ne alienus esse videatur, id mihi passim (o) imputat;*

Poë-

(m) Cap. 5. pag. 70. Qui huic opusculo censuram dedere,
& ipse Pontifex, qui huic libello approbationem dedit.

(n) Cap. 20. pag. 236. Audisti arma hujus Alberti omnia.

(o) Sufficiant tria loca ex innumeris: (1.) In præfat. a. 3.

*Noster hic Albertus in futili suo examine sola inanitate
verborum pugnat, accriminatrice maledicentia: nequit
strophos sophismatum, paralogismos format, fingit as-
dicit, quod & quantum vult, ut sibi possit objicere
quodlibet. Fictionum quarumcunque præconceptæ suæ
opinioni conducibilium feracissimus ac calumniarum
imprudens aut impudens assertor strenuissimus, eò au-
daciior, quò imperitior. (2.) In medio Libri cap. 13.
pag 164. Hæc non intelligit Alberti, ac pro examine*

65